



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXVIII. De residentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

Germa-
nia quare
permissa?

clesiæ interesse putant, principes Ecclesiasticos maximis proventibus latari, quo protestantibus pares esse queant.

- 1) *Sess. 7. c. 2.* 2) *Sess. 24. c. 17.* 3) *Stat. Bles. art. 11.*
4) *Mem. du Clergé part. 2. tit. 14. n. 15. tit. 15. per tot.*



C A P. XXVIII.
D E R E S I D E N T I A.

I.

Residen-
tia neces-
saria.

P R I M I S sæculis clerici omnes titulis suis, veluti cardinibus, fixi firmique inhærebant, quos deserere, vel in aliam diœcesin migrare sine Episcopi venia non poterant, nisi cum ipsi, tum Episcopi, qui eos recepissent, excommunicari vellent¹. Sed ex quo clerici ordinari cœperunt sine titulo, vagabundorum numerus mire excrevit. Deinde beneficiorum pluralitas necessario residentiaæ neglectum involvit, & quæ avaritia beneficia multiplicavit, eadem servitium Ecclesiæ susque deque habuit, lucro unice dedita. Unde legimus Episcopos & clericos, multis beneficiis ornatos, procul Ecclesia omne ævum in aulis principum, vel quocumque aut negotiis aut voluptatibus suis traherentur, exegisse².

- 1) *Conc. Nicen. c. 26. Chalced. 10. 20. Antioch. 3.*
LEO ep. 84. ad Nicen.
2) *PETRUS Bles. ep. 84.*

ex certis
caussis.

II. FUERE tamen justæ absentiaæ causæ, ut, iter ad concilium, ad Episcopi consecrationem, ad Ecclesiæ dedicationem. Non-

nulli ex optimis in aulis degebant; Ecclesiarum, pauperum aliorumque afflictorum causam agentes; sed nec saepe, nec diu; & tanta vitæ innocentia, ut satis appareret, quo spiritu ducerentur. Quia tamen sæculo IV. nonnulli hac libertate abusi sunt, concilio Antiocheno c. 11. statutum est, ne quis Episcopus sine venia collegarum, & Metropolitanorum imprimis, migraret ad aulam: & Sardicenses¹ absentiam eorum, urgente necessitate, restrinxit ad tres menses, cunctisque Episcopis injunxit, ut observarent collegas, per dioceses eorum iter facientes, causamque itineris flagitarent, ut scire possent, num salvis conductibus eorum subscribere possent.

1) c. 7. 10. 11. 12.

III. TEMPORE expeditionum cruciatarum indulti sunt multis clericis fructus beneficiorum absentibus per plures annos¹. Indultum est etiam clericis, qui vel discendi vel docendi causa degebant in academiis. Indultum porro iis, qui in curia Romana litium causa vel provisionibus inhiantes commorabantur. Pessimi exempli denique fuit pontificum secessus Avenionensis, qui ejusdem criminis rei aliis facile privilegium perpetuum de non residendo dederunt, ut absentes tamquam presentes fructus suos facere possent. Obtentui erat, eos, qui in curia pontificis agerent, Ecclesie universali utiliorem operam navare, quam si loco beneficii adstringerentur. Quod ad se traxerunt Sacellani regii, & senatus supremi consilarii, qui reipublice lita-

que admodum multiplicata, negligitur.

rent². Sed primis sæculis cum Ecclesia, tum respublica non infelicius regebatur absque hujusmodi dispensationibus. Et populus sine doctrina, clerus sine disciplina, vitia impunita, cultus publicus neglectus, Ecclesiæ sine ornamentis, ædificia sine reparationibus, pauperes denique destituti, satis proclamarunt, quantum interesset, clericos non residere.

1) C. 4. 12. X. de Cler. non resid.

2) Stat. Melodun. art. 7.

denuo
præcipi-
tur.

IV. HIS malis ut mederetur concilium Tridentinum¹, voluit, ne quis *episcopus* ultra bimestre aut trimestre spatium abesset e diœcesi, extra casum *necessitatis, caritatis, obedientiæ*, & ob *evidens Ecclesiæ aut reipublicæ bonum*: ubi tamen scripta venia pontificis, aut Metropolitanæ aut primi suffraganei opus. Voluit porro, ut provideret, ne ex causa absentia populus detrimentum caperet, ipseque saltem *adventum, jejunium quadragesimale & solennes ferias* obiret in æde cathedrali; additque, secus facientes peccatum mortale committere, nec salva conscientia fructus absentia capere posse, applicandos fabricæ Ecclesiæ & pauperibus loci. Eadem pœna prælagitur *curatis & ceteris beneficiariis*, animarum curam habentibus, quibus injungitur, ne qua absint sine scripta *episcopi venia*, cui mandatur, ut vagabundos fructuum sequestratione, immo & privatione beneficiorum, adigat ad residentiam. Concinit *statutum Bles.*² licet non observetur per omnes apices. *Canonicis* injungitur³ sub pœna dimidiæ fructuum, si primo anno; omni-

um fructuum, si secundo anno ultra tres menses abfuerint, nec alios, quam qui præsentes sunt, *distributionum quotidianarum* vult fieri participes. Sed in his sequenda sunt peculiariora capitulorum statuta, nisi juri communi repugnent⁴. Sunt enim, quæ exactam urgent residentiam; sunt, quæ præsentiam in officio, quoad quis in loco est, sedulam urgent, longioremque indulgent postea absentiam. Canonici inferioris chori homines & semipræbendarios, *capellanos, cantores*, vel quocumque alio nomine censeantur, ad cultum assiduum adstringunt, quia ipsorum stipendiis vivunt, & eorum vicibus funguntur⁵.

1) *Sess. 23. Ref. c. 1.* 2) *art. 14. 15. 16.*

3) *Sess. 25. Ref. c. 12.* 4) *C. 1. de consuet. in 6.*

5) *Mem. du Clerg. p. 2. tit. 14.*

V. SIMPLICIA beneficia vocantur, quæ nec *curam animarum*, nec præsentiam in choro annexam habent, a residentia immunita, ut sunt *abbatiæ vel prioratus commendati & sacella*, in quibus certus numerus Missarum recitandus, quod etiam fieri potest per *procuratorem*. Interim & illa bono Ecclesiæ sunt instituta, nec quidquam nobis obligationem naturalem & divinam remittere potest, perficendi promissa, dum servitio Ecclesiæ nos dedimus, ut ejus proventibus jure frui possimus.

quæ beneficia
sunt a residentia
immunita ?

